R. ult. Apr. 57

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir Illustris,

Benevolentiam Tuam, quam admodum adolescens prolixe sum expertus, imputare possum Viro summo, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, Danieli Heinsio, felicitatis illius meae parario, et qualibuscunque studiis meis in illo flore aetatis cultum aliquem, et melioris aliquando frugis spem praeferentibus. Quod vero constanter illum erga me affectum retines; neque hactenus adspernaris Musarum transfugam, omnium amoenitatum desertorem, et in negotiorum, non maximorum sane, sed omnino perplexitates plurimas habentium, velut quasdam spinas, a tanto tempore, conjectum, id incomparabili humanitati Tuae unice debeo. quia profecto declarari non potuit luculentius, quam cum, ante decem circiter menses, literas merum amorem spirantes, et Momenta Tua Desultoria, addita honorifica praescriptione ultro transmitteres, quoque solennius traderentur, filium Tuum, Nobilissimum iuvenem βιβλιο-γραμματοφόρον mihi allegans. In quo eximio beneficio Tuo, cum plurima simul depraedicanda occurrant,

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;

Sed paucis, quod Tua, meaque tempora postulant, me expediam. Notas amicae atque elegantissimae manus in epistola et libri frontispicio expressas exosculatus sum; librum ipsum cum voluptate et admiratione legi. Quia enim illic, O Apollo, O Musae, ingenii amoenissimi, καὶ ἐπιβόλου πᾶσαν τὴν πολυμάθειαν, πυκνότης et sublimitas! Quot illic gemmae, quantae divitiae, quae rerum verborumque lumina, indolis meae, meique similium aciem praestringentia! Quid, quod immortalitatem dedisti huic homini illo carmine, quod ante annos viginti quatuor mihi adolescenti tantae dignitatis vir, sub pellibus, ad Rynbercam scripsisti? Id vero Fabricius Tuus in praeclaro Momentorum opere editum, et

Se quoque Principibus permistum agnovit Achivis,

non sine aliquo gloriolae γαργαλισμῷ. Filius vero Tuus

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5571

inter tot ac tanta generis, fortunæ, atque ingenii ornamenta, exi-
miæ modestiæ, domi ad me invisens familiariter, et admirabili
in aliis quoque congressibus, suavitate morum, adeo me cepit to-
tumque sibi devinxit, ut a multis annis nihil mihi memi-
nerim iucundius accidisse. O Te felicem, Vir Illustris,
illa filiorum quadriga!

Στῦλοι γὰρ οἴκων παῖδες εἰσὶν ἄρσενες,

inprimis tales, et qui paternæ gloriæ vestigia tam feliciter
premunt. Multa enim et præclara de reliquis quoque narra-
runt mihi avide sciscitanti Excellentissimi Legati, et
Illustris Wassenarius Opdamius. Quod vero filio Tuo non
exhibui præstitique ea amoris officia, quæ Tuis ipsiusque me-
ritis debebantur, iniquitati temporum, et occupatissimo mu-
neri meo, spero, condonabitis. Quin immo propter itus,
reditus, et frequentiorem ex hac Urbe absentiam Excellen-
tissimorum Legatorum, non nisi raptim, et velut in trans-
cursu frui ipso licuit. Sed provocat me dulcedo quædam
Tecum colloquendi: neque alia ratione mitigantur illæ, quas
calamitates bellicæ offundunt, ægrimoniæ, quam recordatione
Tui et similium Tibi Heroum, quorum pars maxima iam
decessit, totiusque illius temporis, quod inter vestros applausus
Musarum amœniorum asseclæ olim transegi. Vale
Vir Illustris, et fave Constanter

Gedani. a. d. XII. Kal.
Martias. CIƆIƆCLVII.

Tuo,
omni obsequio, cultuque,

Vincentius Fabricius.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5571

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5571

Illustri Viro
D. Constantino Hugenio, Equiti,
Zulichemi, Zeelhemi &c. Toparchae,
Principi Auriaco a Consilijs.

Hagae Comitis.

Vince

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5571

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5571

Nobiliſsimo Ampliſsimoq[ue] Viro
Constantino Hugenio, Equiti,
Illustriſsimi Principis Auriaci
Consiliario et Secretario. Domi-
no et Patrono.

Hagæ.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5571